



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1658**

§. 183. Cum ergo accepisset Iesus acetum dixit. v. 30.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45556**

nis oblitum sunt, quo Deum patrem habere mereantur; acceperuntque spiritum Dei clamantem Abba pater, quod nemo utique ex spiritus testimonio & sententia dicere potest, nisi sit filius Dei, hi nec mortem verentur nec infernum nec hostem nec homines, neque lacra neque damna. Totos namque se Deo dederunt ac funditus resignarunt, & gratum est eis quidquid illis facere volet Deus, & in tempore & in æternitate, quandoquidem omnem iam timorem seruilis & mercenarium amorem devicerunt, in præclaram spiritus assumpti atque translati libertatem. Hi quæcunque infra Deum sunt omnia, ut stercora, spreuerunt, quo Christum lucrifaciant, qui iam tum vixit in eis & cuncta eorum opera operatur in ipsis. Ipse fodit, plantat, rigat, euellit, dat incrementum: & ipsi velut bonum ac subditum instrumentum & ager obtemperans, Deum suum intra se, atque secum operari sinunt: Itaque sunt velut hortus irriguus, & ager plenus cui benedixit Dominus: feruntque vinum longe suavissimum, lactificans cor Iesu Christi. Etenim à naturali sua ac infœcunda radice abscissi, atque præclaræ illi vineæ, quæ de corde Patris procedit, atque ex illius pectore sumit alimoniam, insiti sunt. Denique hi Christum adeo inebriant, cælesti necitare, ut quidquid velint facile impetrent ab eo, ita ut ipse fateatur: *falsus sum quasi vir ebrius & quasi homo madidus à vino.*

§. 183. Cum ergo accepisset Iesus acetum dixit. v. 30.

Quæstio cur illud fel & acetum gustare voluit Christus: nisi ut quemadmodum nulla pars corporis in peccatoribus est libera à peccato, similiter nulla esset sui corporis particula quæ non tormentis & doloribus attrita foret, prius per totum corpus erat iniurias passus, in capite per spinæ diadema: in facie per ludæorum sputa: in genis per alapas: in manibus pedibusque per clauos: reliquis corporis habitus erat percussio- nibus verberum vnde quaque saucius: & super dolorem eorum vulnerum hoc etiam addiderunt ut lingua pro cruciatu fel acetumque gustaret.

Gustasti Domine: sed postquam gustasses noluisti bibere, ne tibi ipsi mortem accelerares. Absynthij, fellis & aceti tuæ passionis, nos esse memores æquum est, atque etiam tecum aliquid pati: sed peccata, pro quibus hæc passus es auerfari nos hac tua auersione docuisti: Quis enim gustabit prudens, quod gustatum adfert mortem? si mundi peccatique amaritudinem, peccatoribus & mundo labenti succurrendo, sic degustasse sufficiat, nihil inde voluptatis admittendo, neque malos peccatorum humores & mores imbibendo vel incorporando.

§ 3

§. 185.